

Milan Grošelj
Ljubljana

DE NONNULLIS VOCIBUS
IN LEXICO LATINITATIS MEDII AEVI IUGOSLAVIAE (A — P)
OBVIIS

De prioribus vocibus vide haec Acta X (1970) 85 ss.

huma? — lege: *humanum*. — Textus legendus est: »quam primum tenera adolevit aetas et humanum, ita ut fit, pectus subierunt curae.«

luterco? — lege: *integro*. — Textus in hanc correcturam quadrat: »... solvendo quartum de integro comuni singulis tribus mensibus.«

marria? — intellege *officium mari* (q. v.), »praefecti loci in quo pisces capiuntur«, nam et textus sub v. *marria* citatus »marriam unam piscariarum« memorat.

masalinum? — ad supellectilem fabricandam pertinet, cf. *massaria 2*. Textus huc spectat: »... laborarium masalinum et alterius (!) lignaminis.«

masalis? — idem ac *masalinum* designare videtur. »... ambo magistri de arte masali« memorantur.

massanetivum? — supellectilem designat, cf. *massaritia 1*, *massariticum*. Ad supellectilem spectare videtur textus, qui a domibus distinguit massanetivum: »... quod filie habeant partem, scilicet sicut filii exceptis domibus, et massanetivum...«

matia? — massa, i. e. per errorem: *nassa* »vas ex vimine contextum quo pisces capiuntur«. Ad pisces capiendos textus refertur, qui palariam memorat: »... dixit se in feudum habere... tres matias in palaria nova de Turre... Item in eadem palaria S. Andreae unam matiam francam et liberam.« Palaria enim »piscina palis circumsaepa« est.

mertentur? — lege: *meritentur* (deponens pro verbo activo, cf. mereor). Textus convenit: »... ut... attendant et meritentur ferventius in futurum...«

natelegationis? — significare videtur: *nominat(a)e legationis*.

nundiem? — corr.: *nondum*, ut ex textu apparet: »... et in casu quo nondum (corr. ex: nundiem) aplicuissent Segnam ambaxatores...«

oblegenas? — lege: *ob recens*. Textus sic constituendus est: »Unde quia cuncta, quae dicere cupimus, scribere ob recens fastidium nequimus.«

oppiniata? — Textus »... considerato in oppiniata nos premeditato homicidii pretacti...« corrigendus est sic: *inopinato non* praemeditato homicidio pretacto...

precalendare? — textus: »exposuit et per acta ostendit, quod precalendate littere...« corrigendus est sic: ... *praeallegatae*...

predes? — locus: »... miserat plures de soldatis nostris ad scaramusandum... nobis non placuit neque placet modus, predes, nec missio soldatorum nostrorum extra...« sanandus est sic: »... neque placet modus *predegnatus* nec missio...«

pregnare? — per errorem pro: *praeparare*, cf. textum: »... fratrem Reicherum, custodem, et fratrem Hartliebum monachos ad praeparandum) (corr. ex: *pregnandum*) festum electionis celebrate de fratre Rudolfo...«

prerocinio? — corr.: *patrocinio*.

pretaxacio? — corrigendum non est, nam divisionem possessionum praetaxatio, i. e. *aestimatio* anteire debet.

pretese? — rei seu pecuniae *postulatae*.

proceditores? — corr: *pro creditore*, quod apparet e textu: »Si aliquod instrumentum debiti, sententia vel preceptum deperditum vel deperdita esset pro creditore (corr. ex: *proceditores*)..., volumus quod creditore (corr. ex: *creditor*) petente... reficiatur per notarium...«

prostantore? — *praesentator* intellegendus est (q. v.): »... Giue de Saracha praesentator (corr. ex: *prostantore*), Paulus de Casaliza, advocator.«

protortiois, protortiuus? — lege: *protontinis*, cf. *prothontinus* »navium praefectus«.

pugulis? — corr.: *pergulis*, cf. textum: »... cum illius horto, pergulis (corr. ex: *pugulis*), prato et aliis emolumentis...«

puletia? — ital. *pulizia*, hic *beneficium* significat, quod e textu perspicitur: »non detur de frumento comunis, vel fiat aliquam puletiam aliquo Sclavo...«

pura? — corr.: *poena*, quod cum textu congruit: »... ipsi cives propter absenciam iudicis eorundem... de et super ipsa interfeccione ad plenum respondere et nec aliquam iusticiam seu poenam (corr. ex: *puram*) iudicis ipsorum facere et ministrare possent.«

Povzetek

O NEKATERIH BESEDAH V LEKSIKONU SREDNJEVEŠKE LATINŠČINE
V JUGOSLAVIJI (A—P)

V Zagrebu izhajajoči slovar srednjeveške latinščine Jugoslavije je došel že do črke P. Pisec tega članka je poskusil razložiti nekaj temnih besed.